Conſilia
D. TIBERII DE-
CIANI VTINENSIS.
IVRECONSVLTI CLA-
RISSIMI AC LONGE CELEBERRIMI

RESPONSORVM D. TIBERII DECIANI VTINENSIS, CLARISSIMI AC CELEBERRIMI IVRIS VTRIVSQVE CONSVLTISSIMI, COMITIS LATERANENSIS, EQVITIS SPLENDIDISSIMI:

AC OLIM IN FLORIDISSIMO OMNIVM EVROpæ Gymnaſio Patauino Iuris Cæſarei, in prima ſede matutina, ordinarij interpretis,

Volumen Primum.

RESPONSA PLANE OMNIBVS TVM IN FORO, tum in ſcholis verſantibus, apprimè conducibilia, non minus neceſſaria, quàm vtilia.

ACCESSIT PRAETEREA INDEX RERVM OMNIVM, LOcorúmque inſignium locupletiſſimus.

Cum S. Cæſ. Maieſtatis Priuilegio Speciali.

Impreſſum Francof. ad Mœn. impenſis Sigiſ. Feyrabendij.

M. D. LXXXIX.

ILLVSTRISSIMO ATQVE AMPLISS. VIRO D. IOANNI GRIMANO PATRIARCHAE AC PRINCIPI AQVILEGIenſi Sapientiſſimo atq; Eruditiſſimo,

TIBERIVS DECIANVS I. C. SALVTEM, ac ſummam precatur fœlicitatem.

PVTAVI ego, Præſul ampliſſime, atq; idem Princeps illuſtriſſ. hæc reſponſorum meorum nomini tuo dedicatione ſimul & debito, & officio meo aliqua ex parte ſatisfeciſſe, necnon & exiſtimationi meæ non mediocriter conſuluiſſe. Legeram enim Romanos primitias cuiuſcunq; culturæ Apollini ſolitos offerre: necnõ & lege Moyſis cautum fuiſſe, vt primitiæ omnes primati ſacerdoti offerrentur. Quibus monebar has ſtudiorum meorum primitias, ac primogenitum hunc fœtum tibi veluti alteri Apollini, & primati ſacerdoti Patriæ meæ deberi. Cogitabam præterea hæc volumina tibi dicata futura eſſe veluti indicium obſeruantiæ ergà te meæ, & ſignum quoddam animi mei non omnino ingrati: cum meminiſſem, te nullo meo præcedente merito maiorem ſemper de me concepiſſe opinionem, quàm vel ego ipſe auderem agnoſcere, ſummoq; fauore amicitiam meam multis iam annis foueiſſe, & authoritate tua adauxiſſe. Cæterum & his ſcriptis meis putans non modicum ſplendoris acceſſurum, ſi nomen tuum ampliſſimum præ ſe ferrent, quod veluti fax, & lumen quoddam prælucens, humilia, & incondita, quæ multa his in reſponſis forte legi contigerit, illuſtriora redderet, & ſplendidiora: hoc enim arbitror nullam meliorem, aut certiorem tutelam libris edendis adhiberi poſſe aduerſus audaces Zoilos, ac contumelioſos Momos, neq; vllam cedrum fidelius poſſe à carie, & temporum iniuria ſeruare ſtudioſorum monumenta, quàm doctorum, aut illuſtrium Principum authoritatem. Quare non immerito apud antiquos ea duntaxat ſcripta poſteritatis memoriam promereri exiſtimabantur, quæ cum doctis, & principibus viris placuiſſent, eorum nomine inſignita Apollinis templo iuxta theatrum Romæ poſito cuſtodienda traderentur, quod ſcilicet Apollinem ſtudioſorum ſcriptis tutorem eſſe crederent. His igitur rationibus adductus, hæc mea, qualiacunq; ſint reſponſa, tuæ tanquam Apollinis tutelæ, ac patrocinio commendanda decreui. Cur enim te (ſi licet prophana ſacris componere) Apollinis nomine non compellem merito, cum veluti ſol inter religioſos refulgeas Antiſtites? Licet enim multorum Præſulum doctrina, mores, & vita à multis laudentur, tua tamen integritas, innocentia, fides catholica, ac gratiſſima cœlo pietas, ſacroſanctæq; Theologiæ profunda eruditio non ab vno, vel altero, ſed ab vniuerſo chriſtianorum cœtu, nempe à ſanctiſſimo, & œcumenico Tridentino concilio, quo vniuerſa ſanctorum, ac doctorum patrum eccleſia confluxerat, non modo fuit approbata, & à maleuolorum rabie vindicata, ſed & ſummè laudata, & ex profeſſo glorioſè prædicata: quod neſcio an vlli mortalium multis iam annis anteactis tam fœliciter, tantoq; ſummorum, atq; eruditorum virorum applauſu contigerit. Verum enimuero & in eo tu Apollinem ipſum refers, quod, ſicut ille fingebatur inter charites, & muſas medius, pariter & te gratiarum, & muſarum, ac virtutum omnium choris circundatum ſuſpiciunt omnes, amant, & venerantur. tanta enim eſt in te morum incredibilis quædam ſuauitas ſumma cum maieſtate coniuncta, tantaq; & in amplitudine humanitas, & in humanitate amplitudo, vt his inſtrumentis gratâ quadam violentia in tui amorem trahas omnes: adeo vt non modo gratiarum comes, ſed & alumnus eſſe dicaris. Neq; vero gratijs ipſis in te exornando cedunt diſciplinæ & virtutes omnes, quæ amabili quadam harmonia concinentes corollas capiti tuo contexunt, & circum te choreas ducunt, omnibus admirandum, & exoſculandum te præbentes. Quis enim non miretur in tam graui ætate ingenium tam ardens, tam viuidum, & ad omnia natum? Quis non ſuſpiciat tuam in fortuna tam lauta induſtriam, ac diligentiam infatigabilem? Quis non obſtupeſcat, videns tuam in tot & tantis negotijs, quibus occuparis aſſidue, mentem tam vigilem, tam erectam, tam conſtantem, memoriam tam fœlicem, & tantarum rerum capacem? Quis non exoſculetur tam mitem, tam candidum, tam iuſtum, tam innocentem animum, & tam feruentem charitatem in regendis, & curandis tot gentium animabus, quæ tibi veluti vigilantiſſimo paſtori ſunt concreditæ? cum omnium conſenſu nil à te proficiſcatur, quod non ſit iuſtum, æquum, bonum, ac ſanctum, & tanquam à diuino Flamine deſcendens. Nil igitur mirum, ſi nomen tuum auguſtiſſimum his voluminibus præſcripſi, à quo immenſum ſint receptura ſplendorem: quæ ſi bibliotheca, ac Muſeo tuo nobiliſſimo dignareris recondi, ô me fœlicem, & fœliciorem quàm eos, quorum ſcripta Apollinis templo oblata cuſtodiebantur. Celebra-

tur quã-